

<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/captivi.shtml>

PHIL. Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo, 385
ut potissimum quod in rem recte conducat tuam,
id petam idque persequar corde et animo atque viribus.

TYND. Facis ita ut te facere oportet. nunc animum advortas volo:
omnium primum salutem dicito matri et patri
et cognatis et si quem alium benevolentem videris; 390
me hic valere et servitutum servire huic homini optumo,
qui me honore honestiorem semper fecit et facit.

PHIL. Istuc ne praecipias, facile memoria memini tamen.

TYND. Nam equidem, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror.
dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit 395
de huius filio. **PHIL.** Quae memini, mora mera est monerier.

TYND. Vt eum redimat et remittat nostrum huc amborum vicem.

PHIL. Meminero. **H.** At quamprimum pote: istuc in rem utriquest maxime.

PHIL. Non tuom tu magis videre quam ille suom gnatum cupit.

HEG. Meus mihi, suos cuique est carus. **PHIL.** Numquid aliud vis
patri 400

nuntiari? **TYND.** Me hic valere et—tute audacter dicito,
Tyndare—inter nos fuisse ingenio haud discordabili,
neque te commeruisse culpam—neque me adversatum tibi—
beneque ero gessisse morem in tantis aerumnis tamen;